

ralem jurisdictionem Religio et Milites praedicti haberent, eorumque Ecclesias, Rectores, Vicarios et Ministros quoscumque (in his tamen dumtaxat, quae animarum curam illiusque exercitium et Sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesque actus Visitationem concernentes exercere posse et debere.

Uterius §. 4. mandavit, quod Episcopi et alii Superiores Visitationem hujusmodi tanquam Delegati Apostolicae Sedis faciant, et tandem §. 8. expresse inhiuit dictis Episcopis et aliis Superioribus, ne hac visitandi facultate eis per praesentes concessa alio utantur modo, quam praescripto.

Post relatam s. Pii V. Constitutionem aliam san. mem. Benedictus XIV. edidit die 12. Martii 1753 Constitutionem, quae incipit: *Inter illustria*. In hac confirmavit omnia Privilegia a Romanis Pontificibus Ordini Hierosolymitano concessa recepitque sub immediata Sedis Apostolicae protectione Domos, Hospitalia, Ecclesias, Capellas, Oratoria ac Loca et Membra quaecumque ad dictam religionem pertinentia. Deinde vero §. 3. jussit, ne Episcopi ullam in eos vel ea Jurisdictionem, Correctionem, Superioritatem, Dominium seu Potestatem praeter quam in his, quae ad animarum Curam et Sacramentorum administrationem pertinent, aliisque in casibus per dictum Consilium (scilicet Tridentinum) seu per Apostolicas Constitutiones aliasque Ordinationes praefatas, expressis et declaratis exercere, aut excommunicationis aliasque sententias, censuras et poenas promulgare (etiamsi forsitan hactenus per abusum seu alterius privilegium aut negligentiam, etiamsi per longum tempus taliter observatum non fuisset, seu dicti Hospitalis ejusque Membrorum, Ecclesiae non parochiales, in quibus Sacramenta Fidelibus non administrantur,

pluries fuissent a praedecessoribus Episcopis visitatae) possint et valeant.

Pluries de hac re actum fuit in Sac. Congregatione; Episcopi Mantuani ab anno 1576 ad annum usque 1689 quinque visitaverant ecclesiam s. Joannis de Templo, quae est membrum Commendae s. Vitalis et Sepulcri Veronae; de hujusmodi Visitatione conquestus est Frater Commendarius Bernardinus della Ciaja et proposito dubio: *An Episcopus potuerit et possit dictam Ecclesiam ad Commendam Ordinis Hierosolymitani spectantem visitare?* die 17. Junii 1590 prodiit resolutio: *Negative*; lib. 40. decret. pag. 396.

Rursus cum Episcopus Spoletanus nedum ordinaria Auctoritate, verum etiam tanquam Apostolicae Sedis Delegatus visitasset Ecclesiam s. Jacobi Oppidi Nurtiae ad Religionem Hierosolymitanam pertinentem, reclamavit Commendarius disputatisque dubiis in *Spoletana Visitationis*:

I. *An licet Episcopo visitare Ecclesiam, de qua agitur in casu etc.?*

II. *An Visitatio facta sit attendenda in casu etc.?*

Die 28. Julii 1713 rescriptum fuit ad I.: *Negative*,
ad II.: *Provisum in primo*, lib. 63. decret. pag. 312. Reproposita causa die 16. Decbr. ejusdem anni responsum est

ad I.: *In decisis quoad materiale Ecclesiae; in reliquis spectare ad Episcopum*,

ad II.: *In decisis, dicto lib. 63 decret. pag. 529.* (Vd. p. 900.)

In *Asculana Visitationis* contendeat Episcopus visitare posse ecclesiam s. Joannis ad Templum, quae est Commenda sacrae religionis Hierosolymitanae, non solum quia sic praedecessores eam visitaverant, sed etiam quia Concilium Tridentinum

Sess. 7, cap. 8 de Reform. decernit, quod locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas visitare teneantur, atque insuper quia Sess. 21. cap. 8 de Reform. statuit, quod Monasteria commendata, Prioratus et Praepositurae nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, necnon Beneficia tam curata quam non curata, saecularia et regularia qualitercumque commendata, etiam exempta ab Episcopis tanquam Apostolicae Sedis Delegatis annis singulis visitentur. Hinc discusso dubio: *An et quo jure liceat Episcopo Asculano visitare Ecclesiam s. Joannis ad Templum?* Die 4. Mart. 1719, plenis suffragiis edita est resolutio: *Negative*.

Quandoque tamen in solo judicio mantentionis sac. congregatio praeservandam consuit episcopis visitandi facultatem. In *Miletan. Jurisdictionis* contendens Religio Hierosolymitana ad Episcopum Miletens. nequaquam spectare exercitium spiritualis Jurisdictionis in Oppidis Melicuccae et Drusii, quae Oppida quoad temporalia ordini Hierosolymitano subjecta erant; decem et septem hac de re discussa fuerunt dubia et haec inter VII. sic conceptum: *An in jure visitandi Ecclesias parochiales aliasque omnes dictarum Commendarum sit concedenda mantentio Episcopo seu potius Commendatario?* Die 3. Aug. 1743 prodiit responso: *Manutenendum esse in omnibus Episcopum*.

Demum quod attinet sequestra quibus redditus Commendae subiecit Episcopus, ut Visitationis decreta adimplerentur, notandum, quod Sac. Congregatio die 18. Maii 1590 Episcopo *Hieracensi* sic rescripsit: *Ad id quod A. T. nomine quaesitum fuit a sac. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini SSmi Domini Nostri auctoritate Interpretum videlicet: liceat-*

ne sibi sequestrare fructus Beneficiorum, etiamsi sint Hierosolymitanorum Militum, ad eorum Ecclesias instaurandas, non obstante Sanctissimi Domini Nostri Constitutione, prout latius in libello continetur? Illustrissimi Patres responderunt: id utique A. T. licere: lib. 7. literarum Sacrae Congregationis pag. 165. Hisce adnotatis definiunt EE. VV.

I. *An liceat Episcopo visitare Ecclesiam s. Leonardi spectantem ad sacram Religionem Hierosolymitanam in casu?*

II. *An Visitatio facta sit attendenda, et respective servandum saequestrum in casu?*

S. C. resp.: *Negative ad utrumque.*
Die 11. et 25. Jan. 1783.

Perusina.

Nonnullae exstant in Dioecesi Perusina tum parochiales Ecclesiae tum non parochiales, quae de juribus sunt Commendae s. Justini Ordinis Hierosolymitani. Has omnes Ecclesias indistincte visitavit Episcopus Perusinus in prima et secunda Dioecesis Visitatione; verum existimans Eques Bonacursius dictae Commendae possessor easdem Ecclesias, quae parochiales non sunt, ratione privilegiorum sacrae Religionis a Visitatione Episcopi exemptas esse, questiones suas ad sac. Cong. detulit et bina infrascripta dubia ab EE. VV. definienda proponit.

Ad tuenda propria jura repetit ipse ea omnia, quae deduxit in alia identica quaestione, quam habet cum episcopo Nucerinio, et sustinet ecclesias ordini Hierosolymitano addictas nequaquam episcoporum jurisdictioni subjectas esse solumque episcopis licere illas visitare, si parochiales fuerint, quoad ea, quae curam animarum et Sacramentorum administrationem res-

piciunt, nec ad hanc evertendam exemptionem prodesse episcopis longævam consuetudinem, cum per Constitutionem san. mem. Benedicti XIV. incipientem: *Inter illustria*, sit penitus sublata.

Episcopus refert ex codicibus sacram Visitationum deprehendi, ab episcopo Ferniani praedecessore suo anno 1733 visitatas fuisse ecclesias tum paroch. tum non paroch., ac praesertim Oratorium s. Justini eandemque visitationem explevisse annis 1763 et 1768 Episcopum Amadei et propterea praedecessorum exempla secutum fuisse, dum in prima et secunda Visitatione dictas Ecclesias visitare non omisit; addit, quod licet juxta mandata sae. congreg. promotori fiscali praefixerit terminum ad deducendum jura, nihilominus ipse *nullam in hac re partem faciet et opponere prorsus omittet, cum ego summum profiteor obsequium erga sacram Religionem Hierosolymitanam et EE. VV. jussibus obtemperare perlibenter promptus ero.*

Quae ad rem conferre possunt, habent EE. VV. ex praecedenti causa *Nucerina juris visitandi* in praesenti folio descripta; perpensis igitur omnibus, quae ibidem animadversa sunt, dignabuntur decernere

I: An liceat Episcopo visitare Ecclesias non parochiales spectan. ad sacram Religionem Hierosolymitanam in casu?

II. An Visitatio facta sit attentenda in casu?

S. C. resp.:

Negative ad utrumque.

Die 11. et 25. Jan. 1783.

36) Ecclesiae ad lucrandas indulgentias.

Vd.: p. 907 n. 37.

a) Ecclesia unica si est in loco.

Urbis et Orbis.

Ex audientia SSmi. Die 15. Mart. 1852.

In sacra Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita apud Vaticanas Aedes die 6. Febr. 1852 habita duo enodanda delata fuerunt dubia:

1. An, scilicet in Jubilaeo tum ordinario tum extraordinario, servandae sint omnes regulae a PP. Benedicto XIV. traditae, quibus non adversatur Bulla Jubilaei?

2. In Bulla Jubilaei solet praescribi visitatio plurium Ecclesiarum ejusdem civitatis aut loci; sed plurimis in locis unica adest Ecclesia. An in hoc casu Episcopus possit visitationem caeterarum Ecclesiarum in aliud opus pium commutare vel etiam Capellam, Altare, Crucem aliumve pium locum Ecclesiarum loco visitandum designare? Cum vero Emi Patres in generalibus comitiis ut supra habitis, remature perpensa, fuerint in voto quoad primum: *Affirmative*; quoad vero secundum: *Supplicandum a SSmo ut per decretum generale facultatem tribuat Ordinariis toties visitandi unicam Ecclesiam quot sunt Ecclesiae pro acquisitione Jubilaei visitandae*; de omnibus per me infrascriptum s. Congregationis Cardinalem praefectum SSmo Domino Nostro PP. Pio IX. facta fuit relatio in Audientia diei 15. Mart. 1852 et Sanctitas Sua de Apostolica benignitate resolutionem ejusdem sacrae Congregationis approbavit ac propositam facultatem Ordinariis in casu et ad effectum de quo supra benigne concessit et ut praedicta concessio omnibus patefiat per Decretum generale publicandum esse mandavit.

Datum Romae ex Secretaria s. Congr. Indulgentiarum.

F. Card. Asquinius Praefectus.

Loco † Sigilli.

A. Columbo, secretarius.

(Anal. J. P. 1853 p. 1206.)

b) Quoties?

Decretum Congregationis s. Benedicti in Gallia. In generalibus Comitiis sacrae hujus Indulgentiarum Congregationis habitis die 29. Febr. 1864 sequentia dubia per Joannem Baptistam Nisolas Monachum Congregationis Gallicae sancti Benedicti proposita fuere.

1. Cum ex diversis Decretis s. Congregationis Indulgentiarum jam liceat plures plenarias Indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur: an dictum Decretum respiciat solas Indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit?

2. Qui Decreto ipso uti voluerit, an teneatur Ecclesiam vel publicum Oratorium visitare (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus quot sunt Indulgentiae lucrificandae?

Et quatenus affirmative,

3. „An sufficiat, ut in una eademque ecclesia tot preces seu visitationes repetantur, quot sunt Indulgentiae lucrandae quin de ecclesia postquamlibet Visitationem quis egrediat et denuo in eam ingrediatur?“

Hisce itaque ab eminentissimis patribus mature discussis votisque consultorum perpensis respondendum esse statuerunt

ad 1: „Affirmative,“

ad 2: „Affirmative,“

ad 3: „Negative.“

Datum Romae ex Secretaria s. Congregationis Indulgentiarum die 29. Febr. 1864. F. Antonius Mariae Card. Pagnanico Praefectus.

A. Columbo, secretarius

(Anal. J. P. 1854. p. 765.)

c) Modus et Tempus.

Vd.: n. 37. a.

Decretum Sac. Congreg. Indulgentiis et sacris Reliquiis praepositae.

Cum in nonnullis Brevibus ac Indulgentiarum Decretis, praesertim triduum pro Sanctis et officiorum generalium pro defunctis praetermittantur verba: a primis vesperis usque ad occasum solis etc.: devote visitaverint etc., quae passim in apostolicis Brevibus inseri solent, orta est dubitatio: a quonam tempore Indulgentiae sine praefata clausula expeditae initium sumant; quapropter hujusmodi dubio in sacra Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita discusso die 2. Jul. 1754 eadem Sacra Congregatio declaravit: tempus antedictarum concessionum ab initio diei naturalis, videlicet ab ortu solis incipiendum: et facta per me infrascriptum ejusdem sacrae Congregationis Secretarium die 3. ejusdem mensis SSmo Dno Nostro relatione Sanctitas Sua votum sacrae Congregationis benigne approbavit. Fr. J. Card. Portocarrero Praef. M. Erba Proton. Aq. Secret.

(Anal. J. P. II. Ser. p. 2328. Romae 1857.)

37) Ecclesiae ad Jubilaeum lucrand.

Vd.: p. 906. n. 36.

a) Ecclesia praescripta.

Visitatio est necessario facienda illarum ecclesiarum, quae fuerint ab Ordinario loci aut curam animarum habente designatae, ut habetur clare ex verbis Bullae et tenent communiter Doctores. Hinc Regulares etiam tenentur visitare Ecclesiam seu Ecclesias designatas ab Ordinario et si sua propria Ecclesia fuerit ab Ordinario designata pro Visitatione, Regulares ibi commorantes satisfaciunt eam visitando, dummodo tantum non fuerit ab Ordinario designata solummodo pro mulieribus, quia tunc tenerentur visitare alienam Ecclesiam designatam pro viris; *Felix Potestas* tom. 1. part 4, n. 3834, *Bard.* et alii. Quando

quis prae nimio hominum concursu nequit ingredi Ecclesiam visitandam, *satisfacit visitanda extra portam ibique orando*, Lugo tom. 6. disp. 27. n. 97. Gobat. in Quinario tract. 3. cap. 20. n. 129., Suarez, Bonacina, et alii cum Diana part. 1. tract. 11. resol. 103., *la Croix* loco cit. n. 1433 et alii passim.

Si ratione talis nimii concursus nequidem ad portam Ecclesiae pertingere posset, satis esset visitare et orare in Coemeterio, quia et hoc modo dicitur moraliter visitare Ecclesiam. Coemeterium enim in favorabilibus venit nomine Ecclesiae, argument. cap.: *Odia* 15. de Regulis Juris, ibi: Favores convenit ampliari, Suarez tom. 4. d. 42. sect. 1. n. 7., *Lezana* verb.: Jubilaeum n. 11., *Layman* lib. 5. tract. 7. c. 3. n. 4., *Gobat.* l. c. n. 129. et alii.

Quando praescribitur orari in certa Capella vel ad certum Altare Ecclesiae, oportet ingredi, *La Croix* l. c. n. 1433. et alii.

Quando praescribitur visitatio plurimum Altarium in eadem Ecclesia, non sufficit esse in ipsa ecclesia et animo converti ad illa Altaria, sed requiritur, ut aliquo signo, v. g. conversione capitis aut corporis significetur et demonstretur conversio animi ad singula designata Altaria, quia exigitur visitatio sensibilis, nempe talis actio, quae exterius indicet orationem aut alium actum religiosum fieri ad talia Altaria: Lugo loco cit. num. 98. Gobat. loco cit. num. 131. et alii passim.

Si autem in aliqua Ecclesia non essent tot altaria, quot visitari praescribitur, satisfacit quis tot inclinationes et orationes repetendo ad illa quae ibi existunt, quot Altaria visitare debuisset: Diana part. 1. tract. 11. resolut. 102., Bellegambe part. 3.

sect. 4. quaest. 9., *la Croix* l. cit. n. 1433., *Escobar* et alii.

Quando praescribitur visitatio plurimum Ecclesiarum, non requiritur quod visitentur omnes una die, sed sufficit, quod visitentur inter eandem hebdomadam, qua quis intendit lucrari Jubilaeum, nisi tamen in aliqua Bulla quid diversum praescribatur, quia tunc esset ipsi standum, La Croix loco cit. num. 1433, et alii passim.

Qui Missam pergit audire in Ecclesia designata, hoc ipso visitat. Belleg. part. 2. sect. 5., la Croix loco cit. num. 1432, et alii.

Visitatio Ecclesiarum potest fieri etiam curru vel equo; Gobat loco cit. num. 132, la Croix loco cit. n. 1432, Benzoni et alia.

Debet tamen visitatio fieri devote, ut dicit Bulla. Devote autem censetur fieri etiam a constituto in mortali, item ab immodesto et peccante per viam, si modeste ingrediatur Ecclesiam et devote oret in ea, quia, non est necesse, quod omnia opera paragentur in gratia, sed sufficit si in gratia peragatur opus ultimum. Belleg. loco cit. quaest. 5., Gobat. loco citat. num. 127. la Croix loco cit. n. 1432, Perynus, Navarrus et alii.

Qui vicini sunt Ecclesiae designatae et qui habitant in ea, ipsam visitando consequuntur tantam Indulgentiam, sicuti illi, qui veniunt a longe, quia remissio non proportionatur labori sed meritis, quae dispensatur. S. Thomas dist. 20. quaest. 1. art. 3. q. 2. ad 4., Gobat. loco cit. num. 131., Navarrus et alii passim.

Opera praescripta Jubilaeo lucrando possunt impleri partim in uno loco partim in alio, dummodo visitatio Ecclesiarum fiat in loco publicati Jubilaei; Lugo cit. disp. 17. a n. 123, Bellegambe p. 3. sect. 3. q. 6., Layman lib. 5. c. 8. n. 11., Sannig

lib. 5. decret. tit. de poenit. et remis. cap. 2. n. 16, *la Croix* l. c. n. 1434, *Diana* p. 5. tract. 12. resol. 53, *Cas-tropol. Bonacina* et alii passim. Et ratio est, quia favor Jubilaei est personalis, ex cap.: *autem Privilegium 7 de Regul. Juris in 6. Privilegium personale personam sequitur*, adeoque quocumque quis pergat, fert secum illum istum favorem et jus utendi omnibus jubilaei facultatibus, tum quia Bulla Jubilaei non requirit, ut omnia opera impleantur in loco publicato jubilaei, adeoque etc. Dicitur autem notanter: *Dummodo visitatio Ecclesiarum fiat in loco publicati Jubilaei, quia, cum visitatio debeat fieri illarum solarum Ecclesiarum, quas Ordinarius designavit, non potest fieri in alio, in quo nondum designatae sunt Ecclesiae visitandae, Layman, Diana l. c., Lugo l. c. n. 127, l. c. n. 90.*

Hinc colliges, quod si quis in loco, ubi publicatum est Jubilaeum, visitaverit designatas Ecclesias et inde iter arripuerit, poterit in itinere reliqua opera peragere. *Citati Doctores.* Nec tenetur ratione Jubilaei differe iter in aliud tempus, nam Bulla sine distinctione offert gratiam iter agentibus, l. cit. sub n. 90 in fine et passim.

b) Dispensatio.

Pius PP. VI. ad Poenitentarios Urbis in s. anno deputandos.

Concedimus iisdem poenitentariis minoribus, ut dispensare possint super visitatione quatuor Basilicarum cum exteris, qui vel ob paupertatem vel ob aliam urgentem causam in urbe remanere non possunt, aut reducendo ad tres saltem dies visitationes eandem quatuor basilicarum alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum, vel visitationes praescriptas

in alia pia opera ad ipsorum poenitentiariorum prudens arbitrium commutando.

Cum civibus autem et incolis Romanis, qui morbo vel aliquo legitimo impedimento detenti non valent praedictas Basilicas visitare, possint praescriptas iisdem per triginta dies visitationes in alia pia opera, quae illorum possibilitati proportionata esse viderint, dispensando commutare, suam tamen conscientiam oneraturi, si super huiusmodi visitationibus inconsulto et sine justa et rationabili causa, sive cum exteris sive cum romanis civibus aut incolis dispensaverint.

Confessarii porro pro hoc anno sancto a memorata Cardinali vicario designati se omnino gerant quoad absolutionem a censuris ac peccatis et quoad dispensationes juxta facultates ipsis concessas in suis literis a Cardinali majori poenitentario, facta iisdem quoque facultate dispensandi circa visitationes praescriptas quatuor basilicarum eodem prorsus modo ac poenitentariis minoribus facta est.

Atque item pariter se gerant confessarii regulares quicumque alias ejusdem Cardinalis vicarii seu ipsius vicegerentis approbationem ad confessiones habentes et insuper per suos respective Regulares praelatos seu superiores ad excipiendas suorum religiosorum confessiones deputati, concessa ipsis etiam facultate dispensandi circa visitationes basilicarum cum suis ejusdem coenobii seu domus regularis poenitentibus eodem quo supra dictum est modo.

Die 26. Feb. 1775.

(Bull. r. t. Contin. t. V. 2. Ed. Romae.)

Indultum Sanctissimi Domini Nostri pro fidelibus regni Galliarum ut possint hoc persecutionis tempore in Gallia indulgentias lucrari.

Sanctitas Sua de consilio selectae Cardinalum congregationis benigne indulget fidelibus regni Galliarum ad annum, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit, ut deficientibus sacerdotibus, qui confessiones excipere valeant praefixo tempore, fideles utriusque sexus ejusdem regni indulgentias consequi possint tum ab eadem Sanctitate Sua tum a romanis pontificibus praedecessoribus concessas sacramentali confessione non praemissa, modo actum contritionis eliciant, cum proposito confitendi quam primum fieri poterit.

Item Eadem Sanctitas Sua benigne indulget, ut iidem fideles propter deficientiam ecclesiarum indulgentias consequi valeant, preces a Sanctitate Sua aut praedecessoribus suis praescriptas recitantes privatis in domibus ad instar oratorum decenter redactis, in quibus catholici coguntur sacra facere.

Ex aedibus Vaticanis die 1. Apr. 1794.

F. X. Card. de Zelada.

(Bull. r. t. Cont. t. IX. p. 318. Ed. Romae.)

Leo XII. ad poenitentiarios et confessarios Urbis tempore jubilaei.

Nostrae itidem charitatis sollicitudines ad eos convertemus, qui legitima causa praepediuntur, quominus decretas quatuor basilicarum visitationes exequantur, quales sunt praesertim moniales aliaeque virgines seu mulieres in perpetua clausura viventes, vel oblatae aliaeque in religiosis aut piis domibus seu conservatoriis degentes, nec carceribus seu custodiis detenti et morbis affecti, aliis quippe nostris peculiaribus literis statuemus, quae in Domino magis expedire videbuntur ut plenarii jubilaei participes effici valeant.

Die 21. Oct. 1824.
(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 277. Ed. Romae.)

c) Ante vel post confessionem.
Pius PP. VI. ad Poenitentiarios Urbis in s. anno deputandos.

Confessionem et communionem pro hoc Jubilaeo consequendo injunctas non necesse est visitationibus quatuor basilicarum praemittere, satis erit vel in hujusmodi visitationum decursu vel etiam post easdem visitationes expletas confessionis et communionis sacramenta suscipere.

Die 26. Feb. 1775.

(Bull. r. Contin. t. 5. p. 3. Ed. Romae.)

d) Modus.

Vd. p. 907 n. 37. a.

e) A. Surdis Mutis.

Vd.: *Surdomuti.*

f) Reducta.

Pius PP. VI. ad Poenitentiarios Urbis in s. anno deputandos.

Si quod superveniat indultum, quo praescriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur, quisquis ante id indultum visitationes peregerit paucioribus numero diebus, quam qui in indulto praescribuntur, in visitationes a se jam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum visitationum hujusmodi indulto praescriptarum, superaddendo nimirum alias, quae desint ad explendam summam indulto praefinitum. Si vero eam summam seu numerum antea jam explevisset vel etiam excessisset, unum saltem diem visitationis quatuor basilicarum praeterea adjunget, ut indulti beneficio frui valeat.

Die 26. Feb. 1775.

(Bull. r. Contin. t. V. p. 3. Ed. Romae.)

38) Ecclesiae visit. modus.

In Visit. Ecclesiae est inquirendum:

1. An aedificentur ecclesiae, capellae, oratoria publ. absque licentia Episcopi et dote et quae jam aedificatae fuere, sint collapsae et indigeant reparatione? can.: *Nemo Ecclesiam*, can.: *Nullus presbyter*. dist. 1. de consecr.

2. An altaria habeant in medio saltem lapidem s. debitae latitudinis cooperatum tela cerata, gradum ligneum vel lapideum cum duobus candelabris et cruce cum imagine Crucifixi? can.: *Si motum* dist. 1. de consecr.

3) An dicta altaria habeant icones integras decenter depictas cum imaginibus s. ab Episcopo benedictis?

4. An sint mensae eorundem altarium lectae cum tribus mappis albis et mundis, quarum superior ab utroque latere usque ad suppedaneum descendat?

5. An habeat suppedanea lignea cum repagulo, pulvinaribus vel legili et tabellas sacri convivii, Lavabo et: In principio?

6. An altaria sint proportionatae altitudinis et longitudinis, muro undique pleno et incrustato ac signo crucis in facie munita cum pallio?

7. An muri, tectum, pavementum, valvae, campanae et campanile indigeant reparatione?

8. An in Sacratio adsint suppellectilia omnium colorum integra et munda, an armaria, in quibus custodiantur, an calices et patenae deauratae, an corporalia, pallae, purificatoria, manutergia, bursae, bireta, vela, missalia omniaque decentia et expolita? can.: *in Sancta*, et can.: *Vestimenta*, de consecr. dist. 1.

9. An adsint sedilia vel scamna, quae sacerdotes celebrantes aut func-

tiones Ecclesiae perturbent et impediant?

10. An aqua lustralis sit in vase expolito et renovetur singulo octava die?

11. An adsit inventarium bonorum et ss. suppellectilium?

12. An pro Sacrificio missae pelliculae munda, ampullae, campanulae, manutergia, hostiae albae et instrumenta pro illis necnon particulis rotundendis?

13. An sit libera vel potronata?

14. An habeat portam habentem aditum immediatum in domum laicorum, quae debet claudi si inventiatur habere?

15. An campana seu campanae sint ab Episcopo benedictae?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. 4. suppl. ad 1. t. post n. 267)

Vd.: *Visit. Sacristiae.*

In Visit. Eccl. peragenda est inquirendum de:

- 1) Choro.
- 2) Cruce magna in medio, alto loco cum Salvatore.
- 3) Sede episcopali cum gradibus et umbella.
- 4) Navibus Ecclesiae.
- 5) Parietibus.
- 6) Imaginibus Sanctorum.
- 7) Pulpito.
- 8) Fenestris.
- 9) Sepulchris.
- 10) Sedibus mulierum et populi.
- 11) Divisione sexus.
- 12) Tecto.
- 13) Pavimento.
- 14) Armariis.
- 15) Arculis eleemosynarum.
- 16) Vasibus aquae benedictae.
- 17) Porta.
- 18) Super eam imagine.
- 19) Cruce in culmine.
- 20) Caemeterio.

- 21) Clausura.
 - 22) Cruce lignea.
 - 23) Arboribus.
 - 24) Campanili.
 - 25) Campanis.
 - 26) Earum benedictione.
 - 27) Funibus, scalis.
 - 28) Culmine.
 - 29) Cruce.
 - 30) Ostio.
 - 31) Clavibus.
 - 32) Usu earum.
 - 33) An ad laicorum negotia?
 - 34) Confessione sub Altari majori.
 - 35) Patrono.
 - 36) An profana servantur ibi?
 - 37) Epitaphiis indecoris.
 - 38) Sepultura pro Clero.
 - 39) Sepultura pro pueris.
 - 40) Ecclesiae titulo.
 - 41) Dedicatione.
 - 42) Festis utriusque.
 - 43) Officio, quo ritu.
 - 44) Aliis Festis propriis.
 - 45) Indulgentiis.
 - 46) Stationibus.
 - 47) Oratione quadraginta Horarum.
- Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)*

39) Ecclesiar. nullius Dioecesis.

Vd.: *Visit. Commendat.*

Gravissima se offert quaestio: an ex Concilio Trid. sess. 24. c. 9. de ref. loca nullius dioec. visitari queant ab Episcopo qua ap. Delegato, cujus Ecclesia cathedr. est proximior?

Una omnium sententia est: Ecclesias nullius regulares visitari haud posse; et quoad ecclesias nullius saeculares sunt, qui distinguunt inter Ecclesias nullius proprie, ut sunt jam a dioecesi separatae, in quibus Praelatus inferior habet omnimodam quasi episcopalem jurisdictionem, et ecclesias nullius improprie, ut sunt positae in-

tra fines dioecesis, in quibus Praelatus inferior habet quasi episcopalem jurisdictionem sed non omnimodam. Visitari autem posse illas negant, hasce vero affirmant *Ciarlin.* controv. 67. n. 25. lib. 1. et controv. 22. n. 112. et seq. l. 2., *Ros.* de resid. Ep. c. 4. sect. 6. n. 483. et seq.; *Crispin.* de visit. part. 1. §. 13. n. 40., *Manent.* de Potest. Episc. p. 3. c. 6. n. 2.

Alii absolute affirmant, jus esse Episcopo ex citata conciliari sanctione visitandi ecclesias nullius etiam proprie. *Fagn.* in cap.: *Grave* n. 21. de off. Ordinar.; *Barbosa* ad Concil. Trid. d. sess. 24. d. c. 9. n. 2. et sequ. de reform.; cl. m. *Card. Petra* in comment. ad const. apost. const. 4. Calixti III. n. 141. et seq. alique. Et huic opinioni videtur adhaesisse Rota in Nollana Benef. 25. Junii 1759 cor. R. P. D. Paracciano Decano.

Mihi autem magis arridet prior opinio distinguens ecclesias nullius improprie; hujusce opinionis plures eaque solidae et ineluctabiles afferri possent rationes, sed ea hic sufficiat, quae ex ipsis verbis Concilii Trid. s. 24. c. 9. de ref. desumitur. Verba sunt: „Quae alias etc. de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum etiam exemptorum visitatione constituta sunt, eadem etiam in illis ecclesiis saecul. observentur, quae in nullius dioecesi esse dicuntur, ut ab Episcopo, cujus Cathedralis est proximior, visitentur.“

Satis enim hinc patet, quod Conc. de ecclesiis loquitur, non quae vere et proprie sunt nullius, sed abusive et improprie nullius sunt. Si enim loqueretur de ecclesiis, quae vere et proprie sunt nullius, inquisisset non: in nullius dioecesi esse dicuntur, sed: in nullius dioecesi existunt: nam aliud: in nullius dioecesi dici etc. denotat

primum proprietatem ac veritatem, secundum vero improprietatem et ab-usum, ut monet *Rebuff.* in leg. 3 §.: Ejus, qui ff. de verb. signif.

Quid plura? Satis esse debet ea, quae in s. Congr. Ep. et Reg. negotiis praeposita, tum in altera concilii interprete obtinet praxis committendi quandoque Episcopo viciniore, ut visitet loca haec vere et proprie nullius, in quibus inferior Praelatus habet omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem ad tramites facultatum ipsi communicatarum, ut testatur *Card. de Luca* in adn. ad Conc. Trid. discours. 15. n. 10., *Crispin.* de visit. p. 1. §. 13. n. 40. Quomodo enim asseri potest, Concilium Trid. episcopo viciniore qua Delegato ap. potestatem fecisse visitandi mox dicta loca, si viciniore episcopus visitare ea nequit jure suo sed opus habet commissione alterutrius s. Congregationis nec transire valet limites facultatum ipsi communicatarum?

Quod vero attinet ad decisionem Rotae in Nolana beneficiorum 26. Jun. 1759, satis esset dicere, quod ea est contumacialis; sed accedit hoc amplius, quod denuo proposita causa die 3. Mart. 1760 coram eadem s. Tribunal nil definire voluit de hoc articulo.

40) Eccles. par. et cur. regular.

Vd.: *Visit. Ecclesiae exemptae*; *Visit. Episcopi* (Jus et Oblig.); *Visit. Eccles. Confrat.*; *Visit. Episc.* (capellae).

Visitare potest Episcopus jure ordinario eccles. regul. et alio modo exemptas, quibus imminet cura animarum saecul. personarum et clerici tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsunt immediate in iis, quae curam et sacramentorum administrationem spectant, jurisdictioni, visitationi et exercitio Ordinarii.

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

S. C. C. die 23. Jun. 1725 *Lycien.*
§: *Pluribus.*

Episcopus nec jure ordin. nec deleg. visitare postest ecclesias non curatas, quae sunt de mensa monasterii etique subjective unitae.

Ibid. §: *Haec quoad.*

Jurisdictio vel ordinaria vel delegata episcopis super ecclesiis unitis monasteriis vel commendatis non est privata, sed cumulativa cum inferioribus, ita tamen, ut visitante tam episcopo quam inferiore et decreta edentibus, praevalere debeant decreta episcopi, si adversentur decretis inferiorum.

S. C. C. die 29. Julii 1628.

Licere episcopo visitare jure delegato ecclesiam campestrem non curatam et cui saeculares non deserviant, ad monasterium Carmelitarum pertinentem, posse vero celebrare PP. Carmelitas in illa ecclesia consuetas festivitates sine licentia et assistentia parochi sedesque confessionales in ea retinere.

Die 17. Aug. 1726 *Placent.*; 11. Jan. 1727.

Eodem modo Episcopum visitare posse capellam ruralem Carthusian. in ipsius dioecesi pertinentem.

Die 15. Mart. 1727 *Montis Regalis.*

Ad dub.: An Episcopo Placentino liceat visitare Ecclesiam s. Mariae PP. Carmelit. calceat.?

S. C. C. resp.: Affirmative jure tamen delegato.

Die 27. Julii et 17. Augusti 1726. *Placentina.*

Vd.: *Visit.* (capellarum etc.; regul.); *Regular.* (jurisd. etc.)

Episcopus potest jure delegato visitare ecclesiam ruralem seu campestrem